



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium  
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,  
discussa, & explicata

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

LXXIV. Differentia 7. Ingressus monasterium monachus, vel Canonicus lure  
civili non potest aliquid retinere.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

## DIFFERENTIA 7.

*Ingressus monasterium monachus, vel Canonicus iure civili non potest aliquid retinere. Auth. Ingressi, C. de sacros. eccles. l. Homo liber, ff. de acquir. rer. dom. l. Qui in servitute, ff. de R. Iur. Sed iure Canonico potest potè & sine peccato aliquid de bonis suis retinere loco prabende, c. Tua nos 34. de Simon. c. In presentia & de prob. c. Quon. dilectus, de success. ab intest. c. fin. Ne cler. vel monachi. Bartol. 49.*

I. Hanc differentiam Bartolus subtilem vocat, causâ nunc quidem mihi incognitâ, nisi aliam alio tempore in ecclesia religiosa pauperatis obligationem fuisse indicare velit: quod minime inficiamus. At modò post receptam voti solennitatem notum omnibus est, monachum, & clericum professum nihil sibi reservare proprium posse. Innocentium III. audi. Nullus monachorum proprium aliquo modo possideat, sed si quis aliquid habeat proprii, totum in continenti resignet. Si verò post hoc aliquam proprietatem deprehensus fuerit habere, regulari monitione præviâ de monasterio expellatur, nec recipiatur, nisi pœniteat secundum monasticam disciplinam, c. Cum ad monaster. de statu monach. De quo accuratè post alios Less. c. 41. D. 9. & Franc. Suarez. in Tom. II. de Relig. l. 7. c. 7. assert. ult.

II. Quod attinet c. Tua nos 34. de Simon. non videtur de Canonico regulari, sed sæculari loqui. Casus enim à Gloss. sic formatur: Clericus quidam aliqua de bonis suis obtulit alicui ecclesiæ, pe-

tens, ut in Canonicum admittatur, & liceat eadem sibi bona retinere pro prabenda. Respondet Pontifex, si pactum utrimque absit, fieri absque simoniâ, & culpâ posse, cuilibet enim bona sua gratis offerre ecclesiæ, aut monasterio licet. Az. Tom. III. l. 12. c. 7. q. 2. Reginald. l. 23. n. 244. In c. In presentia, nihil legimus, quod intentioni Bartoli serviat, In c. Cum dilectus, agitur de Archiepiscopo, qui sua bona moriens dicebatur monasterio N. reliquisse. Deniq; in c. fin. Ne cler. vel mon. excommunicatione feriuntur illi, qui ad audiendas leges aut physicam exeunt, & intra duorum mensium spatium non redeunt ad claustrum, vel monasterium.

Auth. Ingressi, Textus brevis & dilucidus est, nec sacris Canonibus contrarius. Ingressi, ait, monasteria (per professionem) ipso ingressu, se suaque dedicant Deo. Nec ergò de his testantur, utpote nec domini illorum, aliarum legum eadem sententia est.